Nec coelo ira suo manet Tonantis
Supremo, sed eum juvat marinus
Patronus liquidis aquis marinis.
Amnes convocat hic, ubi Tyranni
Intravere sui domos, ait: Nunc
Non multis licet admonere verbis
Prasvis fundito flumen omne vires:
Aedes pandite, sic necesse nunc est:
Totas, dum manibus remota moles,
Detis fluminibus suas habenas.
Mandarat, redeunt, et ora laxant
Vivis fontibus, et datis habenis
Cursu praerapido fluunt in agros.
Percussitque suo tridente terram
Illa at intremuit, viamque motu
Extemplo patefecit aptam aquarum.
Per campos fluitant ubique apertos
Amnes innumeri, removentur
Tecta, arbusta simul pecus, viros
Cum sacris rapiunt suis sacella.
Mansit siqua domus, malumque tantum
Indejecta valeret ire contra
Hujus fastigium tamen supremum
Errans unda tegit, latentque turres
Pressae, gurgite sub rapace alto.
Discerni haud poterant mareque tellus
Pontus singula erant, marique littus
Deerat: colle alius sedet dumoso
Fertur cymba alius cita, movetque
Remos ubi nuper jugis ararat.
Hic supra segetes, natumque culmen
Villae navigat; ille summa in ulmo
Prendit pisciculos natare pinnis:
In prato viridi navalis uncus
Jactus figitur, ut tulere fata.
Aut subjecta tegit carina curva
Vineta, et modo qua capella gramen
Decerpsit gracilis vagando molle
Corpus grande locant fera marina.
Lucos Nereides, domos et urbes
Mirantur sub aqua: tenentque sylvas
Delphines, habitantque lucis in altis,
Et pulsant agitata robora undis.
Immo nat lupus acer inter agnos
Villosos aqua convehit leones:
Tigres unda vehit truces; nec apri
Dente, nec pedibus suis fruuntur
Cervi, cumque diu neque quaque terras
Quaesissent. stare quo queant, in aquas
Lassatae volucres ruunt profundas.
Colles obruerat licentia ingens
Ponti coerulei, novique fluctus
Pulsabant juga montium suprema.
Pars undis rapitur per ampla saxis:
Sed queis unda volubilis pepercit
Illos longa domat fames in undis.